



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Stephani Balvzii Miscellaneorum Liber ... Hoc est,  
Collectio Veterum monumentorum, quæ hactenus  
latuerant in varijs codicibus ac bibliothecis**

**Baluze, Etienne**

**Parisiis, 1679**

Innocentij II. Papæ epistola ad Robertum Abbatem sanctæ Mariæ de Rota.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14735**

partem adversariorum & nostram, & conferte auctores auctoribus, assensores assensoribus, modos modis, loca locis, tempora temporibus, impetitores impetitis, & quod etiam per nos non rogati faceretis, rectè judicantes, sæpissime jam commemoratæ abbatiæ de Bosco hoc suum satis parvum solatium adjudicate. Quòd si apud vestram sublimitatem oratio nostræ parvitatis nullius fuerit, commoveant viscera vestra paupertas hujus fratris & Ecclesiæ suæ pauperis humilitas: quia vos estis sustentator pauperum, & pater orphanorum, & advocatus eorum. Vos estis iudex iudicum terræ. Sententia vestra definit universas. Acceptio personarum non fuit apud Christum, nec debet esse apud vos Vicarium ejus. Vestrum est bene posita confirmare. Amodo sollicitudinem causæ pauperis istius & fratrum suorum in sinum clementiæ vestræ projicio. Amodo curam hujus pauperis Iohannis & aliorum fratrum suorum habeatis. Quia, Domine, tibi derelictus est pauper. Orphanorum, non dicam eris, sed sis adiutor.

*Innocentij II. Papæ epistola ad Robertum  
Abbatem sanctæ Mariæ de Rota  
in diocesi Andegavensi.*

Innocentius Episcopus servus servorum Dei dilecto filio Roberto Abbati sanctæ Mariæ de Rota ejusque successoribus regulariter substituendis in perpetuum. Religiosis desideriis facilem præbere debemus assensum, ut fidelis devotio celerem sortiatur effectum. Quocirca, dilecte in Domino filii Roberte Abbas, venerabilis fratris nostri Ulgerij Andegavensis Episcopi, religiosi utique, prudentis, ac discreti viri, certisque experimentis in catholica fide probati, postulationibus annuentes, Ecclesiam

An. 1156.

○

beatæ Mariæ de Bosco, cui Deo auctore præesse di-  
nosceris, sub beati Petri & nostra protectione susci-  
pimus, eamque præsentis privilegij pagina commu-  
nimus. In primis siquidem statuentes ut ordo cano-  
nicus, qui secundum beati Augustini regulam ibi-  
dem est Deo propitio institutus, in eodem loco per-  
petuis temporibus inviolabiliter conservetur. Quæ-  
cunque præterea bona, quascunque possessiones ea-  
dem Ecclesia in præsentiarum justè & canonicè possi-  
det, quæcunque etiam in futurum concessione Pon-  
tificum, largitione Regum vel Principum, oblatio-  
ne fidelium, seu aliis justis modis largiente Domino  
poterit adipisci, firma sibi tuisque successoribus &  
illibata servantur; in quibus hæc propriis nominibus  
duximus exprimenda. Ecclesiam videlicet sanctæ  
Mariæ de Liureio, Ecclesiam sanctæ Mariæ de  
Camazeio cum Capellis suis, scilicet sancti Petri  
& sancti Leonardi, Ecclesiam sancti Salvatoris,  
Ecclesiam sancti Germani de Daona, Ecclesiam  
sancti Petri de Vaus, Ecclesiam sanctæ Mariæ de  
Abrisel, Ecclesiam sancti Bomiri de Fonte co-  
perto, Ecclesiam sancti Petri de Bremio, Ecclesiam  
sanctæ Mariæ de Roalderia, Ecclesiam sancti Ger-  
mani, Ecclesiam sanctæ Mariæ Villæportus, Eccle-  
siam sancti Petri de Chanceio, Capellam sanctæ Ma-  
riæ de Portu Sononia, Capellam sanctæ Mariæ de  
Peston, Capellam sancti Iohannis de Longo-Alne-  
to, Capellam sanctæ crucis de Cancellis, Capellam  
sanctæ Mariæ Magdalenæ Breliengaudi, Capellam  
sancti Lamberti, Capellam sancti Dionysij de Mo-  
lendini Blochet. Concedimus etiam vobis darionem  
trium præbendarum in Ecclesia sancti Nicolai Cre-  
donensis tribus honestis Clericis; qui nimirum, post  
susceptum à vobis beneficium, Andecavensi Episco-  
po, remota exactionis molestia, præsententur. De-  
functo quoque aliquo eorum, quælibet earundem

præbendarum in manu vestra malo studio minimè te-  
 neatur, sed absque frustratoria dilatione à vobis ho-  
 nesto Clerico præbeatur. Et quoniam idem locus  
 frequentationi religiosorum virorum incongruus esse  
 cognoscitur, vobis ibidem habitare non liceat; sed  
 potius, sicut statutum est, in eodem loco sex Ca-  
 nonici statuatur. Mensura verò olei quæ eidem Ec-  
 clesiæ à vobis annualiter præstabatur, ulterius non  
 detur. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum  
 fas sit vestram Ecclesiam temerè perturbare, aut ejus  
 possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere,  
 seu quibuslibet molestiis fatigare; sed omnia integra  
 conserventur, eorum pro quorum sustentatione con-  
 cessa sunt usibus profutura. Salva siquidem Andeca-  
 venfis Episcopi debita justitia & reverentia. Si qua  
 igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona,  
 hujus nostræ constitutionis paginam sciens, contra  
 eam temerè venire tentaverit, secundo tertiove com-  
 monita si non reatum suum congrua satisfactione  
 correxerit, excommunicationi subjaceat. Conser-  
 vantes autem eidem loco quæ sua sunt, omnipoten-  
 tis Dei & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus  
 gratiam consequantur. Amen, Amen, Amen. Be-  
 nevalete.

Ego Innocentius catholicæ Ecclesiæ Episcopus sub-  
 scripsi.

Ego Guillelmus Prænestinus Episcopus subscripsi.

Ego Gregorius Diaconus Cardinalis sanctorum Ser-  
 gij & Bacchi subscripsi.

Ego Ulgerius dictus Andecavenfis Episcopus sub-  
 scripsi.

Ego Guido Cardinalis sancti Adriani subscripsi.

Ego Vasallus Diaconus Cardinalis sancti Eustachij  
 subscripsi.

Ego Grisogonus Diaconus Cardinalis sanctæ Mariæ  
 in Porticu subscripsi.

Ego Litifredus Presbyter Cardinalis Tit. Vestinae  
subscripsi.

Ego Lucas Presbyter Cardinalis Tituli sanctorum  
Iohannis & Pauli subscripsi.

Ego Guido indignus sacerdos.

Ego Gregorius Cardinalis Presbyter Tituli sanctae  
Priscae subscripsi.

Data Pisis per manum Aimerici S. R. E. Diaconi  
Cardinalis & Cancellarij VIII. Kalendas Februarij,  
Indictione XIIII. incarnationis dominicae anno  
MCXXXVI. pontificatus Domni Innocentij Papa  
II. anno sexto.

Visum est hoc loco addere chartam de primo dono  
Ecclesiae sancti Nicolai de Credone, & bullam Pal-  
chalis II. qua eandem monasterio Rotensi confir-  
mat, quod utriusque scripti mentio supra pag. 204.  
fiat in relatione Ulgerij Episcopi Andegavensis.  
Addimus etiam chartam qua ejusdem monaste-  
rij initia continentur, & eam qua agit de confir-  
matione ab Urbano II. facta in Concilio Turo-  
nensi. Hinc enim explicabuntur quae de primordiis  
hujus Ecclesiae & de judicio Turonensi dicuntur  
pag. 201. & 208.

*De primo dono Ecclesiae sancti Nicolai de Credone.*

Ego Albinus Abbas & Conventus sanctae Mariae  
de Rota munimine & testimonio hujus paginae no-  
tum coetaneis nostris & omnibus successuris esse  
curavimus Hugonem de Credone Capellam sancti  
Nicolai, quae est in Credonensi oppido, cum perti-  
nentiis ejus in manu Raginaldi Andecavensis Epil-  
copi ad hoc posuisse ut ipse Rainaldus eam cum ipsis  
pertinentiis Ecclesiae nostrae & nobis donaret in per-  
petuum habendam, & ipsum Rainaldum nobis eam  
& Ecclesiae nostrae dedisse. Sanè id concessit Ulge-  
rius, qui tunc erat Archidiaconus, & Rainaldus Ar-  
chipresbyter. Concesserunt etiam Clerici praefatae